

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Definitores

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

æquum ac expediens visum fuerit, consulant & prospiciant, &c. Ne limites istos leuiter excedant, setidò admonentur in Ordinationibus Capitali Gener: 1656. §. De Custodibus, præsertim in concedendis Obedientialibus, nisi magnâ existente necessitate P. Prouincialis tempestiuè providere nequeat.

CXXI.
Custodum
in anima-
rum curâ
potestas.

121. Nostris etiam Custodibus adscribit P. Sigism. De Elect. dub. 104. n. 8. Præilegium Clem. 4 in Comp. V. Custodes. quo statuit: Quòd Custodes & Guardiani, qui secundum statuta Ordinis FF. Minorum, aliter quàm per Electionem instituuntur; post ipsam institutionem seu provisionem de ipsis factam, curam animarum sibi subditarum ipsius Ordinis habeant, ipsosque ligare ac soluere possint iuxta ipsius Ordinis instituta. Quantam portò facultatem Instituta nostra ijs concedant, videre licet V. Absolutio quoad fratres. Et V. Confessarius. Videatur item V. Iudex. V. Prelatus.

DEFINITORES.

122. Definitores Generalis ac Prouincialium in definiendo Collega.
123. Definitorum officia.
124. In definiendo auctoritas.
125. Tenentur in Consultationibus respondere secundum conscientiam.

126. Item in officiorum distributionibus communem utilitatem præ oculis habere.
127. Regularem Disciplinam omni studio zelari.
128. In suffragando maiori parti subscribere.
129. In eodem ipsi Capiti reuerentiam deferre.
130. Denique Secreta Definitionis non reuelare.

122. **D**efinitores dicuntur, quia non solum consulendo, sed etiam definiendo negotia Ordinis, vnâ cum Generali seu Provinciali, tanquam coadiutores, siue collegæ, vel officij participes, expediunt, etsi cæteroque, quâ tales curam animarum non habeant vllam. P. Sigism. de Elect. dub. 59. & 107.

123. Definitores, alij sunt Generales, alij Prouinciales, Vtrisque capitulariter electis, modo & formâ præscriptâ in Constit. 6. 8. Generalibus (vt ibidem dicitur) incumbit, causas & res quascunque occurrentes totius Ordinis cum P. Generali dispicere ac decidere, dubia Constitutionum declarare, necessitatibus prouidere, &c. Idem proportionaliter pro suis Prouincijs, Prouincialibus Definitoribus competit. Insuper verò etiam eligere Superiores suæ Prouinciæ, Custodes (nisi sint ad Capitulum Generale, qui, vt supra dictum,

CXXII.
Definitores
Generales
ac
Prouinciales
Coadiutores.

CXXIII.
Eorum
num.

dictum, à toto Capitulo eliguntur) Guerdianos, Fabricatores, disponere fratres per Conuentus, ordinare familias, designare Confessarios tam pro fratribus, quàm secularibus, instituire studia, &c. Ad ipsos Definitores singulariter spectat electionem noui Prouincialis indicare P. Generali, & ab eodem confirmationem illius petere. De præsentia primi Definitoris in Capitulo Prouinciali, &c. dicitur *V. Electio*.

CXXIV. 124. Tenentur ipsi Generales & Prouinciales Ministri, in causis quibuscunque, quæ non inconsulto Definitorio petraçari debent, petere & sequi consilium suorum Definitorum, Generalium, vel Prouincialium, aliàs nullus est & inanis actus defectu Iurisdictionis. Idem est dicendum, si non collegialiter, sed separatim tantummodò in talem actum conueniant: Quia dicti Definitores Generales cum Generali, & Prouinciales cum Prouinciali, non sunt Suffragatores vt singuli, sed vt vnum corpus Prouinciæ suæ Religionis efficiunt & repræsentant. *Rodriq. to. 2. qq. Reg. q. 46. a. 2. quem sequitur noster P. Sigism. de Elect. dub. 107. n. 9.* asserens id verum esse, non solum in Electionibus, sed indistinctè quibuscunque causis grauioribus, nisi quando propter necessitatem & periculum, consensus

CXXIV.
In defini-
endo au-
toritas.

III X O

IIII X O

III X O

sus eiusmodi collegialis commodè haberi nequit.

125. Tenentur vicissim prædicti Definitores in Consultationibus iuxta conscientias suas respondere, aliàs infideles erunt muneri quod gerunt, etiamsi existiment, Generales aut Prouinciales velle eos consentaneè ipsorum voluntati assentiri, aut tacere, aut nihil effecturos suam sententiam proferendo, vel solùm cæremonix causâ interrogari, Rodriq. *to. 2. qq. Reg. q. 45. a. 4. & 6.* Quod autem subiungit *a. 4.* teneri tacere, si eis à Generalibus aut Prouincialibus ita præcipiatur, &c. hoc admittitur in dubijs & probabilibus, tunc enim præcepto Superiorum standum est. Quando autem certum & euidens fuerit, illos posse & debere circa rem propositam suam sententiam aperire, tunc non tenentur Superiorum præcepto stare, quia tale præceptum iniquum est, & non obligat. *Lezan. to. 2. qq. Reg. c. 13. n. 24.* Si verò Generalis diceret se habere iustas causas ad aliquid faciendum, vel illis silentium imponendum, cum res sit dubia, & alijs incomperta, ait idem, credendum esse illi. *Quod P. Sigism. dub. 91. n. 6.* rectè limitat, modò non constet, aut saltem probabilis & rationalis adsit suspicio de aliqua fraude Prouincialis. Addit Rodriq.

CXXV.
Obligatio
in consul-
tando.

cit. a. 5. debere eos saltem generalia illa quæ ad rem pertinere possunt, pro sua prudentia Prælati ipsi consideranda proponere, à cæteris verò, quæ sibi non constant, tanquam à re dubia abstinere quidem, sed desiderium tamen, quo tenentur, ostendere, & Prælatorum iussui & muneri alibi commodiùs, si tempus patietur, satisfaciend.

CXXVI.
In officio-
rũ distri-
butione.

126. In Prælaturarum & officiorum distributionibus, quæ Definitoribus vnâ cù P. Prouinciali singulariter competunt, illud primum & vniuersale spectare debent, vt nullâ prauâ affectione aut similitate ducti, sed communis tantum utilitatis studio, sanctoque Zelo permoti in his se habeant, eâ prudentiâ & dexteritate, quæ tantorum Prætorum muneri conveniat. Quod si proponantur ad dignitates & officia illi, quorum defectus notabilis est publicus, sed à Præsidente ignoratus, tenentur sub mortali detegere defectum Præsidi, ne admittatur indignus ad officium. *Rodriq. cit. q. 54 a. 3. Lezan. cit. n. 22. Portel. in dub. Reg. V. Definitores. cum S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 2.* Imò etiam defectus occultos & non emendatos, quando aliter obuiari non posset periculo, quod cõmunitati instat ex indigni & defectuosi electione; Præponderat enim bonum publicum bono particulari electi indigni. *114 DD. cit. & infra V. Electio.*

127. Conuenit insuper quammaximè
 Definitores, tanquam Prouinciæ Pates, pio
 erga Religionem propriam affectu, & com-
 munitis boni Zelo conferuandæ Regulari
 Disciplinæ omni studio incumbere, ne ipsi
 dormitantibus, vitiorum, & relaxationis
 zizania magis magisque succrescant, faciliè
 deinceps nullo studio eradicanda, vt enim
 D. Petr. Damian ep. 121. exhortans quos-
 dam Monachos ad conferuandum primevæ
 monasticæ vitæ fervorem, qui sensim tepe-
 cere solet, nisi subindè renouetur, sapienter
 tradit: *Sicut quod à Maioribus est omissum, non
 reparatur à nobis, ita quod apud nos per negli-
 gentiam deficit, nequaquam Successorum no-
 strorum posteritas instaurabit, vt verum sit illud
 Horatij:*

Ætas parentum peior auis tulie.

Nos nequiores, mox daturos.

Progeniem vitiosorem.

In hunc finem studiosè legât & expendant,
 quæ N. Seraph. D. Bonauentura nos instruit
 in 11. de sex alis Seraphin. c. 3. cumque ad
 hæc, & alia sui muneris exercitia & fûctio-
 nes non vulgaris rerum vfas, & sui statûs ac
 officij tam speculatiua quàm practica scien-
 tia & pericia necessaria sit, ad hæc sibi com-
 paranda omnem operam & conatum im-
 pendant, necesse est, Naturalis namque &
 Ns diuina

CXXVII.
 In confer-
 uandâ Dis-
 ciplinâ
 Regulari

divina lex prohibet, ne quis artem, quam ignorat, exerceat. *c. Non est sine culpa. D. Reg. Iuris in 6. D. Anton. in 2. p. tit. 3. c. 6. §. 3. Nau. c. Inter verba concl. 1. n. 17. & 18.*

CXXVIII.
In subscribendo.

128. Quando maior pars Definitionis aliquid decernit, possunt ac debent ij, qui dissenserunt, cum illis subscribere; Tùm ne pax Religiosa turbetur, tùm quia humilitas præscribit, vt eo casu vnus alij se submittat, tùm quia quod maior pars decernit, à toto corpore dicitur decisum, ac per consequens omnes tunc debent subscribere. Hanc esse communem DD. omnium resolutionem, & in communi omnium Senatuum & Iudicum praxi, attestatur Mirand. in *Man. tó. 2. q. 17. a. 6.* Vbi ex *Annal. PP. Prædicatorum l. 2. c. 62.* memorabile refert factum atque constitutum à D. Thom. cum esset eiusdem Religionis Definitor in Capitulo quodam Generali Londini celebrato. *An. 1263.* vt quod à Maiori Definitorij parte esset determinatum atque decretum, ab omnibus subscriberetur, etiam si eorum quispiam contrariæ fuisset sententiæ, vt constare nullo modo posset, quis affirmaverit vel contradixerit, & id quod de se erat occultum atque secretum, ea de causa, perperam non innotescat.

129. Deferendum est autem in conclu-
 endo, in primis omni cum reuerentia, ipsi
 definitionis Capiti secundum illud 2. Esdr.
 13. Surge, tuum est decernere, nosque erimus
 cum, confortare, & fac. Quem locum com-
 mentatus Ven; Beda: Decentissime, inquit,
 docet, quomodo sit apud Maiores in consilio a-
 endum, ut videlicet quisque pro suo sensu, quod
 primum intellexerit siue intellexisse visus fue-
 rit, dicat: Et tamen ei, qui praest, locum decer-
 nendi relinquat, paratus obtemperare omnibus,
 quae ille secundum voluntatem ac legem Dei a-
 genda disposuerit. Haec ille & merito, cum
 enim ex Dei prouidentia ad praesidendum
 singulariter electi sint, dubitandum non
 est, quin praeter ceteris diuina regantur assi-
 stentia. Quos namque Deus ad aliquid eligit
 (D. Th. 3. p. q. 27. a. 4.) ita preparat &
 disponit, ut ad illud, ad quod eliguntur, inue-
 niantur idonei. Quamquam multo secus vi-
 deatur humanae prudentiae, quam, ut stul-
 tam ostenderet Deus, in exemplum dedit
 singulare, Moysen, Ducem Israëliticum;
 Exod. 3. quem considerans Oleast. Ecce, in-
 quit, quos elegit Deus ad negotia sua, nempe quae
 inhabiles videntur, ut habiles fiant, ut sciant ho-
 mines opera Dei, ad quae assumuntur, non esse
 sua, sed Dei. Quis enim non miretur, videns
 Deum, hominem balbum, Oratorem ad Regem
 desti-

CXXIX.
 Reueren-
 do Praesi-
 dem.

destinare, & Pastorem pecudum, Ducem populi constituere. Expende non sat fuisse Domino, in p̄tū casu eligere, sed natura: ut ostendat se in p̄tū aptissimos facere ad omnia quae voluerit.

CXXX. 130. Notandum denique, præter communem obligationem de non reuelando secreta Definitionis, quod Constitutiones nostræ c. 18. Iuramentum exposcant à Definitoribus tenendi secreta, quorum reuelatio quietem Religiosam turbare, causare turbas, obtreccationes, & similia inconvenientia mala poterunt. Quare qui secretum eiusmodi violant, siquidem res sit magni momenti, & Valdè inter sit non evulgari, mortalem etiam culpam contra Religionis virtutem, propter violatū Iuramentum, incurrunt. Idem aliqui docent, etiam si res modica sit propter reuerentiam Iuramenti. Sed in hoc peccari venialiter tantum docent graues DD. Nau. Soar Sylu. Sanch. Dian & alij, quos refert P. Elig. n. 1. V. Iuramentum. 4. n. 3. & 10. 2. V. eodem n. 29. siue res illa parua sit totalis, siue partialis tantum materia iuramenti. Idem applicat Portel. V. Iuramentum. n. 30. ad Religiosos, quibus in Definitorio Prælati præstans iubet sub Obedientiæ præcepto, ne reuelent tractata in Definitorio; obligabit enim ista obedientia modo proximè dicto

pro qua
ligat p
mentu
tio qu
Pralat

131.
132.
133.
134.

exte
ut si
est
no
mi
frac
lum
cui
nec
den
gul
Or
tal
cip
ge
pro

ro qualitate materia. Non enim plus obligat preceptum obedientia, quam iuramentum. Vide plura de Definitioribus. V. Absolutio quoad fratres. V. Confessarius. V. Index. V. Prælati Regularis.

DISCRETVS.

131. Discretorum officium duplex.

132. Qualitates.

133. Requisita.

131. **O**fficium seu Autoritas Discretorum, ad duo principaliter se extendit. Primum ac velut substantiale est, vt sint vocales in Capitulo Provinciali, id est vocem seu suffragium in hoc habeant, nomine illius Conuentus, à quo electi ac illi sunt ad tale Capitulum. Alterum quasi accessorium, vt deferant ad idem Capitulum errores Prælati supradicti Conuentus, cuius Discreti, seu à quo oblegati sunt: Item necessitates, aliaque pertinentia ad eundem Conuentum, siue ad quoscumque singulares fratres eiusdem Conuentus. *Constit. Ordin. c. 8.*

132. Ex his inferitur, in promouendis ad tale munus, attendendas esse primò & principaliter omnes illas qualitates, quibus eligendus redditur aptior, & magis idoneus

omni

CXXXI.
Discretorum officium.

CXXXII.
Qualitates
132.